Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

audit a domino oportere se ire hierosolimam ibique
multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdo
tum et occidi et tertia die resurgere. non vult destru
ere confessionem suam. nec putat fieri posse ut dei
filius occidatur. assumitque eum in affectu suum vel sepa
ratim ducit ne praesentibus ceteris discipulis suis videatur
magistrum arguere. et coepit increpare illum aman
tis affectu et optantis dicere. absit a te domine. Vel
ut melius habetur in graeco ileos oice e. hoc est propi
tius tibi sis domine non erit hoc. Non potest fieri nec
recipiunt aures meae. ut filius dei occidendus sit.
Ad quem dominus conversus ait. Vade satanas scan
dalum mihi es. Satanas interpretatur adversarius sive con
trarius. Quia contrarium quod loqueris voluntati meae
debes adversarius appellari. Multi putant quod
non petrus correptus sit. sed adversarius spiritus qui haec
dicere apostolo suggerebat. Sed mihi error apostolicus et
de pietatis affectu veniens. numquam incentivum
videbitur diaboli. Vade post me satana. Diabo
lo dicitur vade satanas. Petrus audit vade retro me.
hoc est sequere sententiam meam. quia non sapis ea
quae dei sunt. sed ea quae hominum. Meae voluntatis est et
patris cuius veni facere voluntatem ut pro hominum
salute moriar. tu tuam tantum considerans vo
luntatem non vis granum tritici in terram cadere ut
multos fructus afferat. Prudens lector inquirat
quomodo post tantam beatitudinem. beatus es symon
bariona et tu es petrus et super hanc petram edi